

COMMUNICATIONES

HENRICUS BOELAARS

DE DUABUS INSCRIPTIONIBUS LATINIS IN HORTO COLLEGII S. ALFONSI DE URBE

In libro quo P. Aloisius Walter abhinc 70 annos historiam domus generalis Congregationis SS.mi Redemptoris descripsit (1), complures notatae inveniuntur inscriptiones, quae variis in locis in Villa Caserta muris affixae erant, cum Redemptoristae anno 1855 hanc villam a Michelangelo Caetani, duce Sermonetae, emerunt (2). Eisdem invenimus notatas in annalibus libris domus generalis (3).

Adsunt in horto huius collegii quattuor lapides inscriptionibus muniti, affixi muro postico domus locatae, cuius frons ad viam « dello Statuto » vergit. Huic muro affixi sunt cum, antiqua Villa Caserta solo aequata, nova domus generalis ad S. Alfonsi, annis 1930-1933 exaedificata est.

De duabus inscriptionibus hoc loco servatis mentio fit in libro Aloisii Walter, ibique typis clare et accurate mandatae sunt; altera quae adventum Innocentii PP. XII anno 1699 et inspectionem villae a Maria Casimira, Poloniae regina, vidua regis Joannis Sobieski, anno 1700 peractam commemorat (4), altera quae nomen Francisci Cae-

(1) [A. WALTER], *Villa Caserta. Ad aureum domus generalitiae jubilaeum*, Romae 1905, 303 pp.

(2) WALTER, *op. cit.*, 38, 39, 44, 45, cfr. 37 et 40 inscriptiones in horto et in casula aucupatoria appositas.

(3) *Cronica della casa generalizia del Santissimo Redentore I* (iniziata Roma 1855), Parte I, cap. 2: Alcune particolarità intorno all'antico palazzo de' principi Gaetani ed alla Villa di Caserta, pp. 12-20. Archivum generale CSSR, Arm. Domus generalis.

(4) WALTER, *op. cit.*, 44.

tani una cum anno 1772 exhibet (5).

Duae autem aliae affixae inveniuntur inscriptiones, quae eodem tempore in hunc locum translatae esse videntur, quin hucusque, in quantum scire licuit, typis excusae in lucem editae sint. Haec omissio in opere p. Walter non facile explicatur. Nescimus quo loco hi duo lapides in Villa Caserta exstiterint. R. P. Benedictus d'Orazio, cui has inscriptiones monstravi, inquirens ubinam antea affixae fuissent, respondit: « nel cortile », i.e. in hortulo interno aedium. Accuratiorum indicationem conferre non potuit. Attamen, si hae tabulae in hortulo oculis omnium apertae exstitissent, earum omissio in libro de Villa Caserta difficulter intelligitur.

Ex argumento inscriptionum colligere licet hos lapides prope ingressum hortorum alicui constructioni insertos fuisse (6). Possibile est, et probabile fiet lectori e descriptione earum conditionis mutilae quam infra exhibebimus, has duas inscriptiones constructionibus posteriore tempore aedibus villae additis obtectas fuisse, quae forsam iam ante emptionem nostram exaedificatae erant. Propterea in eversione Villae Casertae tandem repertae cum aliis duobus lapidibus inscriptionibus munitis in locum supra descriptum horti collocatae sunt. — Attamen non multum iuvat suppositiones rationum omissionis multiplicare, quae hodie nec confirmari nec infirmari possunt.

Transeamus ad descriptionem harum inscriptionum. Insculptae sunt litteris formosis duobus lapidibus marmoreis, albi coloris, formae aequalis; ex quo deducere licet eas compares et sibi invicem respondententes (pendants) fuisse. Lapidēs sunt eiusdem longitudinis, 153 cm; altitudo illius qui completus remansit, est 57 cm, crassitudo huius lapidis est 12 cm, alterius 7 cm. In inferiore parte lapidum anguli rotundati sunt.

Agemus prius de inscriptione fere completa, quae constat duabus lineis titulum exhibentibus, quarum litterae altitudinem 3,9 cm habent, et sex lineis sculptis litteris altitudinis 3,4 cm. Lapis in parte inferiore abrasionem altitudinis 10 cm passus est, ita ut ultima linea textus evanuerit et paenultima lineae partes tantum superiores litterarum remanserint. Hanc autem paenultimam lineam restituere po-

(5) WALTER, *op. cit.*, 45.

(6) Paulum probabile est hos lapides pertinuisse ad s.d. « Casino del Cardinale Nerli », quae erat structura cum porticu viam S. Matthaei spectans (cfr. imaginem « hortorum et villae », in libro p. Walter insertam, oppositam p. 36). Haec enim casula forsitan iam anno 1873 everti coepta est (WALTER, p. 121) et parum probabile est illos lapides tunc in hortulum internum translatos esse, quin a Walter notarentur.

tuimus, comparantes partes adhuc visibiles litterarum cum litteris similibus eiusdem inscriptionis. — Tenor huius inscriptionis est sequens:

RUS URBANUM IN EXQUILIJS
EM. CARD. FRANCISCI NERLIJ

HIC SUPER EXQUILIOS COLLES VILLA HORTUS ET AEDES
NERLIA CONSURGIT LAETIFICATQUE PLAGAM
TEMPERIES NITOR UNDA NEMUS PLANTAEQUE FERACES
POMORUM POTERANT DOTE PLACERE SUA
SINGULA SED PROPRIIS REIECTIS LAUDIBUS ORANT

Inscriptio haec, ut legenti patet, constat tribus distichis, hexametris cum pentametris; deest ultimus pentameter. Persequentes sensum totius carminis opinamur hunc dixisse:

[PRAEDICATE DOMINUM QUI RUS AMOENUM EXCOLUIT]

Dominus ille erat Franciscus Card. Nerlius (Nerli) (7), natus anno 1636 (8), iunior dictus, quia erat filius fratris Francisci Card. Nerlii senioris (1595-1670), devotus et sagax cooperatores romanorum pontificum Clementis X, (B.) Innocentii XI, Alexandri VIII, Innocentii XII et Clementis XI. Plurima munera ecclesiastica, praesertim in curia pontificia, sustinuit: nuntiaturam extraordinariam in Polonia et Austria (1670), archiepiscopatum Florentinum (1670-1683), nuntiaturam ad regem Galliae (1672), secretariatum Status (1673-76), episcopatum Assisiensem (1685-1689). Episcopus consecratus est, titulo Adrianopolitano i.p.i. anno 1670; cardinalis creatus est a Clemente X anno 1673, titulo S. Matthaei in Merulana. Obiit anno 1708 et in hac ecclesia sepultus fuit.

Praeter domum spatiosam in via « delle quattro fontane » possedit villam prope basilicam S. Mariae Maiorem (9), quae « rus » dici potuit, quia sita erat extra partes habitatas civitatis, et « rus urba-

(7) De Francisco Card. Nerlio iuniore cfr. Gaetano MORONI, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica* XLVII, Venezia 1867, 293-295; vide etiam R. RITZLER - P. SEFRIN, *Hierarchia catholica medii et recentioris aevi* V, Patavii 1952, 69, 101, 203. Nihil de eo invenitur in *Enciclopedia Italiana* (Treccani) nec in *Enciclopedia Cattolica*.

(8) MORONI, *loc. cit.*: « nacque in Firenze »; RITZLER-SEFRIN, *op. cit.* 69: « natus Romae ».

(9) « per la Lateranense (via) una bellissima villa » dicit G. MORONI, *loc. cit.*

num » quia intra limites Urbis antiquae iacebat. Hanc villam sedulo excoluit, eamque moriens reliquit operi pio, scil. hospitio amentium, quod a S. Maria de Misericordia dicebatur (10). Fundus hortorum valde extensus erat, formae fere triangularis, situs inter viam Merulanam, viam S. Viti et viam tunc existentem S. Matthaei.

Altera inscriptio multo magis mutila est. Pars superior lapidis serra resecta est, ita ut altitudinis eius 38,5 cm tantum remaneant. Inferior pars etiam huius lapidis abrasionem 12,5 cm subiit. Litterae huius inscriptionis eiusdem facturae sunt prioris lapidis, at minoris altitudinis, scil. 2,9 cm.

Sumentes inscriptionem titulo unius lineae instructam fuisse, affirmare licet carmen insculptum decem lineis constitisse, scil. quinque distichis. Titulus et primum distichon omnino evanuerunt, item tres lineae inferiores. Tertiam lineam restituere potuimus e partibus inferioribus, quae adhuc videntur, litterarum.

Ut tenorem completum huius inscriptionis probabiliter restituamus, licet proficisci ex hoc quod duae inscriptiones nostrae compares et sibi invicem respondententes (pendants) fuerunt, quarum utraque laudem poeticam hortorum ruris Francisci Card. Nerlii continet.

Utrumque carmen ab eodem poeta compositum esse videtur. Stylus, modus cogitandi et exprimendi similis, usus vocis « dos » in utroque identitatem poetae suggerunt. Sensus praecipuus utriusque inscriptionis est: Nolite laudare hortum, sed dominum horti laudate! Adulationem alicuius poetae clientis erga cardinalem « maecenatem » in utroque opusculo poetico agnoscere licebit.

Prior inscriptio, de qua egimus, hanc cogitationem simpliciter et sine ambagibus exprimit. Altera autem proficisci videtur ex adventu cuiusdam personae magni ponderis in societate humana, quae hortum videre voluit, quia famam pulchritudinis, amoenitatis, « nobilioris culturae » sibi comparaverat.

Tales adventus commemorat longior inscriptio, Innocentii PP. XII et reginae Poloniae, Mariae Casimirae; posteriores notantur a

(10) WALTER, *op. cit.* 44. Anno 1725 Michaelangelus Caetani, Dux Sermonetae, princeps Casertae, villam emit, illique nomen « Casertam » tribuit. Filius eius Franciscus, cuius nomen in lapide marmoreo una cum indicatione anni 1772 legitur, artium scientiarumque cultor fuit. Post eum filius Henricus villam possedit, quam filio suo, iterum nomine Michaelangelus, reliquit. Ab eo anno 1855 eam emit p. Rudolphus Smetana (pecunia magna ex parte a p. Eduardo Douglas donata) ut inibi capitulum generale haberetur, novusque superior generalis a capitulo eligendus residentiam inveniret. Cfr. WALTER, *op. cit.* 20-27, 35-46.

Walter: Pii PP. VII anno 1806, et Leonis PP. XII (11). Unde assumptio talis adventus probabilitate gaudet.

E priore inscriptione patet hortum villae Fr. Cardinalis Nerlii arbores alias nemorasas alias frugiferas continuisse; altera inscriptio abundantiam « culturae nobilioris » laudat. E quibus concludimus Card. Nerlium, gustui temporis indulgentem, « hortum botanicum » plantavisse. Confirmatur ex eo quod anno 1803 Romae impressus est catalogus plantarum villae et horti botanici Francisci Caetani (12). Probabile videtur hunc hortum aliquod initium coepisse a possidente anteriore, Card. Nerlio (13).

His probabiliter assumptis inscriptio altera aliquantulum compleri posse mihi videtur sequenti fere modo:

(Titulus)

[ADVENTUS TALIS PERSONAE
IN VILLAM FR. CARD. NERLIJ]

[V.(illa) VIDISTINE QUALEM HONOREM MIHI TRIBUIT
TAM GRANDIS PERSONA INVISENDO MEOS HORTOS?]

(Quaerit poeta:)

S. QUO TANDEM HAEC INGENS CONSTAT FIDUCIA CENSU
UT TIBI DES TANTUM PROMERUISSE DECUS?

(11) Cfr. WALTER, *op. cit.* 43-44, 37.

(12) [FRANCISCUS CAETANI], *Recensio plantarum in villa atque horto botanico Francisci Cajetani*, Romae 1803. Citata apud WALTER, *op. cit.* 40.

(13) « Ad medium saeculum decimum nonum, quum familia Ligoriana illuc intraret, praedium a pluribus annis desertum et hortus velut incultus jacebat; non pauca tamen neque inania supererant, in horto praesertim, antiqui splendoris et pristinae magnificentiae documenta. Bini xysti, seu deambulationes, ad centum metra porrecti et vetustissima laurea protecti et cooperti; densae et altissimae buxorum sepes; cupressi et pini immanis magnitudinis; complures etiam peregrinae et a longe arcessitae arbores aliaeque exoticae herbae. [...] Ad haec quatuor aderant pelves seu vasa aquaria, aqua quam *Felicem* vocant, copiose munita, quae virentibus servandis non minus quam delectandis spectatorum animis oculisque prodessent ». WALTER, *op. cit.* 40. — Haec descriptio horti familiae Caetanae memoriam repetit hortorum Nerlii, quorum ille continuatio fuerat.

(Respondet villa:)

V. HAUD ILLUM ALLEXIT MEA DOS SED CURA VIDENDI
 CULTURAE PROPIUS NOBILIORES OPES
 NAM DOMINI HESPERIDUM QUAM FAMA AFFINXERAT
 HORTIS
 [UBERTATEM AEQUANDI CONATUS
 TALEM ADVENTUM HONORIFICUM
 SATIS SUPERQUE ILLI PROMERUERUNT]

E litteris S. et V. conicere licet dialogum quendam institui inter V.(illam) et S.(criptorem, poetam).

Primo disticho (perdito) Villa gloriatur de adventu personae grandis, cuius nomen in titulo vel in primo versu commemoratum fuisse assumere licet.

Dein S. (poeta) villam interrogat, cur se putet honorem (decus) adventus tam honorabilis meruisse.

Respondet V.(illa), non suam dotem aut venustatem hospitem induxisse, ut eam inviseret, sed illius desiderium (cura) videndi abundantiam et varietatem (opes) culturae nobilis plantarum.

Dein laudem ad « dominum » (Card. Nerlium) devolvens addit: Dominus conatus est contendere cum illa ubertate, varietate, temperie, quas fama poetica hortis Hesperidum, e quibus Hercules poma rapuit, affinxerat. Horum conatum felix successus domino (Nerlio) promeruit adventum honorabilem.

Plura ex his inscriptionibus erui non posse, opinor. Utile tamen mihi visum est haec pauca servare ope typographicae artis, quae « monumentum aere perennius » et marmoreis tabulis durabilius erigendi apta est.